HONORI

PII SEPTIMI

PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI

PRIMUM EX QUINQUENNI CAPTIVITATE
INDE EX LIGURIA

AD MUNDI DOMINAM ET MAGISTRAM
REDEUNTIS

BREVE SEMPERQUE IMPAR PRAECONIUM

AB ANDREA ANIBALDI

CONGREGATIONIS ORATORII TREJAE PRÆPOSITO
CONCINNATUM.

ROMAE MDCCCXV.

APUD FRANCISCUM BOURLIE'

Verus Petri Successor, Ecclesiae visibile Caput servatur in Carcere. Enixis patiens homo Dei, humillimisque precibus longo nimis, et aspero copulatis jejunio, non iram, sed Magni Dei furorem super Terram emollire indefessé satagit, et alto divino Consilio e carcere eductus, formosus in Stola sua, gradiensque in infirmitate sua, quia aerumnis confectus, ad nos potius translatus, quam veniens, quasi Stella matutina in medio nebulae repente apparet.

Reges Eum vident, consurgunt Principes, et adorant Deum, qui ad Ecclesiae defensionem, ad Religionis substentaculum, ad Universi pacem elegit Eum.

Coram Illo Populi, Nationesque procidunt, et dum prae laetitia exultantes HOSANNA Ei dicunt, omnibus benefaciendo, plurimos confirmando, multos illuminando, non paucos sanando, fronte hilaris, corde humilis, gratiosus pertransit.

Omnes Illum admirantur, et obstupescentes dicunt: Mons Hic est, in quo beneplacitum est Deo habitare in Eo. Summus

Sacerdos , Regnique coelestis Janitor , in quem tenebrarum potestas non praevaluit, quia in Columnam ferream , et Murum aeneum dedit Illum Dominus . Pastor Bonus , qui et montes , et colles trasiliens, accurate quaerit , et quaerendo vult salvum facere quod perierat . Pater amabilis, qui omnibus omnia factus , ut omnes Christo lucrifaciat, perfectae suae charitatis ardore , etiam impiorum corda demulget , eaque ad opera sectanda justitiae et ad pedum suorum humilia adoranda vestigia movet , et allicit. Custos fidelis , qui in lucem Gentium factus, hic evellit, illic dissipat , hic plantat. Princeps omnium Maximus , qui nullius nec argentum , nec aurum concupiscens , terrena Deo dicata conservat , coelestia promittit..

Sed jam Civitas Sancta Eum vocat, amplexari cupit, adorare desiderat; quia consolatus est Dominus Populum suum , et exaltavit , et elevavit , et sublimem valde reddidit Christum suum .

Tandem cum triumpho nec prius viso, nec postea expectando Pontifex Maximus Civitatem ingreditur , illamque peramanter aspiciens , Filia mea , inquit , Sponsa mea , quae calicem irae Domini bibisti , elevare, consurge : vastitas , et contritio , et fames ,

et gladius jam non sunt super te; Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non erit ultra desolata, quia cum Patre filii tui, qui projecti fuerant jam redeunt, et veniunt, et laudabunt, et gaudium, et laetitiam tenebunt; fugit enim dolor, et gemitus; etsi super te sibilaverunt inimici tui, confusi sunt, et nescierunt.

In augusto splendenti Throno se assidet: vocat et filios et servos, et praemium, et coronam disponit illis, qui secum permanserunt in tentationibus suis.

In gaudium magnum versa est tristitia: Omnes exultant: per vias, et plateas dulces personantur hymni: Civitas sancta parata sicut Sponsa ornata Viro suo immensis coruscat splendoribus: Coelum triumphat, fremunt tartara, et Infidelis si non sponte, invitus saltem interea confiteatur, quod a Domino factum sit istud, et sit mirabile in oculis nostris.

Verum audiant Coeli, audiat et Terra, quae de tanto Pontifice adhuc dicenda remanent; de illo Summo Sacerdote, in quo de die in diem mirabiliores divinae Sapientiae viae apparent, quia nondum Magnalium suorum, gloriaeque suae finis advenit.

In pace est locus Ejus, et pro totius

Orbis utilitate suum studiose Ministerium implet. Hilaris in habitatione sua sancta quiescit, sed malorum iniquitas nondum consummata, impiorumque mensura adhuc non impleta Virum Sanctum in die Paschali Solemnitati proximo, iterum e Sede, ejusque Throno una cum illis, qui Ei semper assistunt, atque ministrant, crudeliter depellunt, et exulare cogunt.

Mendaces tamen filii hominum in stateris, quia Dominus dando vocem suam, baculum impiorum conterit, et illuc Eum ducit, ubi gloriae suae majora acquirit incrementa.

Quasi Columbae ad fenestras suas, omnes ut nubes volant ad videndum Eum. Insulae Eum expectant, Mare Illum portat, et quo se magis humiliat, eo magis exaltatur, quia in exemplar saeculorum, in gaudium generationum, luctus sui diebus completis, Dominus dedit Eum.

Sed jam gloriosi sui reditus ad Mundi Caput tempus advenit, jam Sponsa monilibus ornata, fulta floribus, malisque stipata suum expectat dilectum; jam grex Pastori suo obviam se facit; jam Ecclesiarum Ecclesia suum ardenter desiderat Caput, et Domino suaviter, fortiterque disponente in electi Ser-

vi sui solamen , et gloriam via paratur jucunda , iter praebetur rectum , et securum , offendicula quaeque removentur, et quasi Arca Dei suo loco reponenda , si illis dat tristitiam a quibus se amovet , iis laetitiam donat ad quos appropinquat.

Nobili interea triumpho omnibus vindicatis Ecclesiae Sanctae juribus,hilaris,et humilis , Spirituque Sancto plenus sublimes Portas Civitatis ingreditur ; illius Civitatis , quae semel , atque iterum Ipso destituta et lacrimis,et precibus,et votis ad se revocavit: Inclitae illius Urbis , quam dum benignissime plus mente , quam corpore respicit , et copiosa Benedictione de rore Coeli , et de pinguedine terrae totius invicti Animi sui effusione replet , inter Potentum adorationes , innumeraeque Gentis plausus , hymnis Canticisque spiritualibus permixtos , ad Illum se confert , cui in passione similis factus , etiam in tempore ejus gaudii particeps redditur .

Salve Ecclesiae Catholicae Decus , Praesulum corona , Regum gloria , Principum exemplar , unica inter hujus Aevi vortices spes nostra . Salve Summe Sacerdos , et dum benignus , et clemens nostra respicis vota, longaevum in Petri Cathedra Te servet Omnipotens, ut Te gubernante , Te Duce , qui

omnibus splendes virtutibus, et pretiosis cumulatus es meritis, tamquam veri Ecclesiae Filii vivamus, et Tecum Regna petamus aeterna. Amen.

D. Sixtus Benigni Abbas Cisterciensis (Auctore humiliter renuente) publici juris fecit.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Candidus Maria Frattini Archiep. Philipp. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praed. S. Pal. Apostolici Magister.